



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita S. Liborii Episcopi, Calcvlo Laborantivm Patroni**

**Bolland, Johannes**

**Antverpiae, 1648**

Acta Ecclesiae Amerinae, De Reliquiarum S. Liborii receptione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9573**

figno suo notariatus muniuit, sit publicus & legalis Notarius, cuius documentis, & instrumentis in & extra iudicium publica vbique fides adhibetur. In cuius rei testimonium sigillum ciuitatis nostræ secretum hisce appendi, & Secretarij nostri iurati subscriptione roborari iussimus. Actum anno salutis millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto, die 17. mensis Iulij. Loco & signi. Henricus Holland, ciuitatis ac Reipublicæ Monasteriensis, partium Westphaliæ, Secretarius iuratus, iudicij Imperialis Camerae Notarius immatriculatus, in fidem manu propria subscripsi.

A C T A

ECCLESIAE AMERINÆ,

*De Reliquiarum S. LIBORII  
receptione.*

i.



N nomine Domini, Amen. Presenti publico instrumento cunctis vbique pateat euidenter, & notum sit; quod anno à Natiuitate Domini

nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo, Indictione xv. die v-  
tò xv. mensis Martij, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris & Domini nostri D. Innocentij Diuinâ prouidentia Papæ decimi, anno eius tertio, coram Illustriss. & Reueren-

Coram Episcopo & Canonis  
Amerinis  
15. Martij  
1647.

L

diff.

diff. Domino Gaudentio Polo, Dei & Apo-  
 stolicæ Sedis gratiâ Episcopo Amerino, ac  
 Perillustri & Reuerendiss. Domino Delio  
 Vectio Protonotario Apostolico, eiusdem Il-  
 lustriss. & Reuerend. Domini Episcopi Vica-  
 rio Generali; necnon Perillustribus & Ad-  
 modùm RR. DD. Nicolao Racano Priore,  
 Iulio Geraldino Archidiacono, Ioanne Vin-  
 centio Mandosio Præposito, Augustino Car-  
 leno, Claudio Picioto, Petro Carleno, Hiero-  
 nymo Roscio, Curtio Mandosio, Fabiano  
 Zucchante, Petro Venturello, Ioanne Bapti-  
 stâ Sandro, Iosepho Venturello, & Petro Fran-  
 cisco Racano, Canonicis venerabilis Cathe-  
 dralis Ecclesiæ S. Firminæ de Ameriâ; meque  
 Notario, & testibus infra scriptis, ad hæc spe-  
 cialiter vocatis atque rogatis; in infra scripto  
 loco, præsens & personaliter constitutus fue-  
 rit R. P. Frater Bonauentura de Rutheno,  
 Prædicator Capucinus prouinciæ Rhenanæ  
 cum suo socio, & extraxerit ex coloris cine-  
 ricei sacco stamineo illatam pyxidem: eam-  
 que ex vtraque parte aperiens, inde aliam  
 produxerit; inde aliam capsulam rotundam  
 argenteo, aureo, viridi, rubro colore variega-  
 tam, vittâ subrubicundâ quater ita circumli-  
 gatam, vt octo in locis contineretur, signa-  
 tam Sereniss. Ferdinandi, Electoris Colonien-  
 sis, Episcopi Paderbornensis, cum rubrâ cerâ,  
 superius Paderbornensis Capituli ex viridi  
 cerâ, inferius circumcircâ super vittam S. Li-  
 borij,

*exposita est  
 capsula reli-  
 quiarum S.  
 Liborij,*

borij, Theodori Recke Paderborneusis Cathedralis Præpositi, Gasparis Philippi à Ket-  
 teler Decani, Ioannis Gulielmi Baronis de *rite signata*  
 Syntzigh Cantoris & Cellerarij, Adolphi *à Canonicis*  
 Henrici Droste Præpositi Monasteriensis *Paderbor-*  
 Cathedralis, Arnoldi de Vittinghoff conditi *nenfisibus*  
 Schelle Præpositi ad S. Mauritium, Adolphi  
 Hentici Droste iunioris, Canonicorum Pa-  
 derbornensis Cathedralis, & Abbatis Carle-  
 ni in rubrâ cerâ Hispanicâ sigillis: deinde ex-  
 plicato in pergameno donationis, & attesta-  
 tionis instrumento, dicto Illustriss. & Reue-  
 rendiss. Episcopo, Capitulo, & Canonicis A-  
 merinis, in optimâ formâ legerit; & osten-  
 dens omnia dicta sigilla integra & in nullo  
 violata, ex ipso instrumento abundanter do-  
 cuerit, dictam capsulam verè, & eam ipsam  
 esse, quæ & ab Illustriss. & Reuerend. Cathe-  
 dralis Paderbornensis Prælati & Canonicis,  
 anno MDCXLVI. nono die mensis Iunij, Mo-  
 nasterij Westphaliæ, in aulâ habitationis Re-  
 uerend. & Illustr. D. Bernardi Westerholt Ca-  
 thedralis ibidē Canonici, tradita fuit fideliter  
 Ameriam transferēda: quòd demum dictam  
 capsulam in dictâ pyxide, & hanc cum illâ in  
 dicto sacculo reposuerit. huic Illustriss. & Re- *denud obse-*  
 uerend. Dominus Episcopus Amerinus qua- *gnata,*  
 tuor chartas in modum stellæ sic superposuit,  
 vt octo radios constituent: in medio verò vbi  
 sese contingunt, posuit Capitulum in quatuor  
 radijs suum; dictus autem P. Bonauentura in

*in q̄ armario  
clausa:*

alijs quatuor radijs suum sigillum rubrâ cerâ Hispanicâ. Ita his peractis sic sigillatam pyxidem cum capsulâ deposuit idem Illustriss. & Reuerendiss. Dominus Episcopus Amerinus reuerenter in armario, in dictâ sacristiâ, quod responderet ianue ducenti in ecclesiam: & clausum fuit duabus clauibus, quarum vnâ retinuit idem Illustriss. & Reuerendiss. Dominus Episcopus, alteram dedit Perillustri & Admodum Reuerendo D. Augustino Carleno custodiendam. Super quibus omnibus & singulis præmissis, petitum fuit à me Notario & Cancellario publico infra scripto, vt vnum, vel plura, publicum, seu publica, conficerem atque traderem instrumentum & instrumenta, prout opus fuerit, & requisitus ero.

*Acta conscripta,*

2. Actum Amerinæ in dictâ venerabili sacristiâ dictæ venerabilis Cathedralis Ecclesiæ S. Firminæ, præsentibus ibidem audientibus & intelligentibus Admodum RR. DD. Iulio Ghiringhello Magistro cæremoniarum, & Christophoro Varatio Capellano eiusdem Cathedralis Ecclesiæ, Amerinis, testibus ad prædicta habitis, vocatis & rogatis.

*Actis Monasteriensibus prælectis,*

Tenor autem donationis & attestationis instrumenti, de quo supra fit mentio, talis est, videlicet. *Hic inserta erant integra Acta Monasteriensia, quæ iam antè è tabulis Monasterio acceptis retulimus: & quæ rursus in fine nu. 11. recitantur in schedulâ descripta.*

3. Eisdem anno, Indictione & Pontificatu, quibus

quibus suprà, die verò VIII. mensis Maij, Ad-  
modùm R. P. Bonauentura de Rutheno Præ-  
dicator Capucinus prouinciæ Rhenanæ, vnâ  
cum Adm. Ven. P. Iosepho Maria Perusino  
Prædicatore socio Romano, reuersus Ame-  
riam, egerit cum Illustriss. & Reuerend. eius-  
dem Episcopo, de modo, diebus, & horis re-  
signationis sanctarum Reliquiarum S. Libo-  
rij Episcopi Cenomanensis, Patroni Pader-  
bornensis, & institutione processionis cum  
eisdem; conuentumque inter ipsos fuerit, di-  
ctas Reliquias vndecimo Maij resignare, &  
processionem cum eisdem sequenti die duo-  
decimâ Maij.

8. Maij  
1647 deli-  
beratur de  
Translatio-  
ne.

4. Vndecimâ igitur dicti mensis die post  
vesperas prædictus Pater cum suo socio ad  
Episcopalem aulam ciuitatis Ameriæ se con-  
tulit: ex quâ paullò post prodijt Illustriss. &  
Reuerendiss. Dominus Gaudentius Polus,  
Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus  
Amerinus, rochetto indutus, comitatus à  
Perillustri & Reuerendiss. Domino Delio  
Vectio, Protonotario Apostolico, & Vicario  
Generali, nec non ab Illustriss. DD. Carolo  
Mandolio, Martio Boccarino, Campeggio  
Carleno, & Iacobo Moricono, Ancianis Illust.  
ciuitatis Ameriæ, & antedicto P. Bonauentu-  
râ cum suo socio Capucinis, multisque alijs  
Amerinis, ad Cathedralem Ecclesiam S. Fir-  
minæ, expectatus in eâ à Perillustribus &  
Adm. RR. DD. Capitularibus & Canonicis

II. Maij in  
solenni con-  
uentu Ca-  
nonicorum  
& Magi-  
stratum  
Amerino-  
rum

166 VITA S. LIBORII PATRONI  
eiusdem, videlicet, Nicolao Racano Priore,  
Ioanne Vincentio Mandosio Præposito, Au-  
gustino Carleno, Claudio Picioto, Petro Car-  
leno, Hieronymo Roscio, Curtio Mandosio,  
Fabiano Zucchante, Petro Venturello, Ioan-  
ne Baptista Sandro, Iosepho Venturello, Pe-  
tro Francisco Racano, & Dominico Petruc-  
cio, superpelliceis indutis. In ecclesiæ ingres-  
su porrectum fuit à præfato Priore Illustriss.  
& Reuerendiss. Domino Episcopo aspergil-  
lum cum aquâ lustrali, quâ se primùm, dein-  
de Dominos Canonicos, Ancianos, Capuci-  
nos, aliosque Amerinos asperfit: statimque ad  
altare Venerabilis accessit, & factâ aliquan-  
tis per flexis poplitibus oratione, cum comi-  
tatu, & expectantibus sacrarium intrauit, in  
cuius medio ampla mensa stabat pro para-  
mentis celebrantium; ad latus verò ante ar-  
marium, in quo decimoquinto die Martij  
currentis anni sigillata pyxis cum sacris Re-  
liquijs S. Liborij deposita fuerat; necnon  
existentibus sex candelabris, totidemque can-  
didis ardentibus cereis ad illam ductis om-  
nibus in gyro, datisque Patri Bonauenturæ  
Capucino clauibus duabus dicti armarij; de-  
tulit & Adm. Reu. Dominus Iulius Ghirin-  
ghellus cæremoniarum Magister stolas duas,  
primam Illustriss. & Reuerendiss. D. Episco-  
po, alteram P. Bonauenturæ: quibus collo ap-  
pensis, hic duo candelabra cum suis cereis ex  
minori mensâ sublata, in amplâ ante illum  
depo-

deposuit, statimque se ad præfatum armarium conuertit, ad cuius latus oratio ad S. Liborium contra morbum calculi affixa erat: illud clauibus ipsis aperuit, & inde sacrarum Reliquiarum custodiam ablatam, in amplâ mensâ inter duo illa candelabra ac Illustriss. & Reuerendiss. D. Episcopum, in sacculo coloris cinerici, nouem sigillis ex rubrâ cerâ Hispanicâ, decimoquinto Martij, consignato, reuerenter reposuit; lecto que eodem die confecto depositionis instrumento, ostendit omnia illa sigilla adhuc integra, quæ Illustriss. & Reuerendiss. D. Episcopus mox aperuit, & P. Bonauentura Capucinus, detracto illo sacculo stamineo, illicò pyxidem ex vtraque parte aperiens extraxit, variegatam, rotundam, vittâ coccineâ circumligatâ, capsulam, signatam sigillis decem, superiùs in rubrâ cerâ Sereniss. Electoris Coloniensis, Episc. Paderbornensis; inferiùs viridi cerâ Hispanicâ S. Liborij, Theodori à Recke Paderbornensis Cathedralis Præpositi, Gasparis Philippi à Ketteler Decani, Ioannis Gulielmi Baronis à Zyntfigh Cantoris & Cellerarij, Adolphi Henrici Droste Præpositi Monasteriensis Cathedralis, Arnoldi de Vittinghoff condicti Schelle, Præpositi ad S. Mauritium, Adolphi Henrici Droste Iunioris, Canonorum Paderbornen. Cathedralis, Abbatis Carleni: eamque Illustriss. & Reuerendiss. D. Episcopo *aperta ab* aperiendam in manus tradidit. *Episcopo ead.* Qui relictis *illis*



illis decem sigillis integris octo in locis, partim forficibus, partim cultello incidit, F. Bonaventuræ Capucino ad producendas inde reliquias reddidit. Qui ablato operculo inde extraxit primum tres S. Liborij imagines chartæ impressas. 2. schedulam, ex quâ clarè legitur contentas in illâ capsulâ reliquias esse verè S. Liborij, sibi anno MDCXLVI. die nonâ Iunij Monasterij Westphaliæ traditas, fideliter Ameriam transferendas. 3. supra rubrum pannum sericeum explicatum ostendit duas sacrarum Reliquiarum partes, vnam cranij, alteram tibiæ, quas Illustriss. & Reuerendiss. D. Episcopus, Canonici, Anciani, Capucini, alijque præsentés, in genua prouoluti, & pectora tundentes, debito honore affecerunt; leuatis verò sursum omnibus Illustriss. & Reuerendiss. D. Episcopus exosculatus fuit. Moxque reliquiarium ex nigro ebena in modum altaris affabrè factum, cum pede quò stare possit, latum verò & altum duobus cum dimidio pedibus, ornatum duabus columnis marmoreis, cruce deauratâ superiùs ac alijs ex argenteo, & ex deaurato ornamentis, à parte posteriore aperiens, eduxit inde capsulam, duo oualia caua continentem, quorum fundus erat rubro ex serico aureo intertexto; his sanctas Reliquias imposuit, partem cranij superiori, tibiæ inferiori glutinè ad id parato agglutinans, ne deuant.

*prolata Reliquia,*

*mox reliquiarium non inclusit,*

5. Hoc factò sacras Reliquias pluribus  
S. Li-

S. Liborij imaginibus, plurimisq̄ue rosarijs, tetigit: deinde plurium, genibus flexis id pe- tentium, capitibus imposuit, dicens: PER IN-<sup>datâque</sup> TERCESSIONEM S. LIBORII LIBERET TE <sup>presentibus</sup> DEVS A MALO. Demum reliquiario imposuit <sup>benedictione,</sup> vitrum, & capsulam cum Reliquijs, sicq̄ue ta- bellâ conglutinâtâ occlusit, vt deinceps ape- riri non possit. His ita peractis & in circum- <sup>Et imagini-</sup> stantes ducentis & quinquaginta S. Liborij <sup>buis,</sup> distributis imaginibus, quæ eiusdem reliquias tetigerant sacras, P. Bonaventura Capucinus supradictam pyxidem, cum decem sigillis si- gnatâ illâ capsulâ, attestationis, donationis, concessionis, traditionis instrumento & sche- dulâ, Capitulo & Canonicis tradidit in per- petuam rei memoriam conseruanda, reli- quiasq̄ue traditas, in loco decenti collocan- das ac debito honore commendauit, quas tandem ab Illustriſſ. & Reuerend. D. Episco- po in factâ ad id cistellâ cum Reliquiario de- positas acceptauit memoratus Prior, & ex sacrario per ecclesiam, præcedentibus duabus ardentibus facibus cereis, totidemq̄ue, se- quentibus verò Illustriſſ. & Reu. D. Episcopo, Canonicis, Ancianis, Capucinis, ceterisq̄ue præsentibus Amerinis, ad sacellum sanctissimi Rosarij delatas, in armario à sinistris eiusdem <sup>in armaria</sup> reposuit: quod ipsemet Illustriſſ. & Reuerend. <sup>deposita:</sup> D. Episcopus tribus clauibus clausit, easq̄ue P. Bonaventuræ Capucino in crastinum cu- stodiendas concredidit, qui ipsum comitan-

tibus ceteris ad Aulam suam conduxit, & acceptâ benedictione cum suo socio abiit.

*12. Maij ad  
PP. Con-  
uentualium  
ecclesiam  
delata:*

6. Sed posterâ die, quæ erat xii. Maij, & Dominica tertia post Pascha, rursus ante vespas tam ipse Pater Bonaventura cum suo socio, quàm DD. Canonici cum pluribus Presbyteris, Clericis, Religiosis, personatis Angelis, Governatore, Ancianis, Nobilibus ciuibus Amerinis, & externis, in Episcopali Aulâ comparebant; cumque inde Illustriss. & Reuerendiss. D. Episcopum ad Cathedralem Ecclesiam sequerentur, vespas aut decantaturi aut audituri; ipse acceptâ ab eodem benedictione, sese vñ cum socio, & Adm. RR. DD. Aegidio Delphino, & Petro Leonino, ad supradictum sacelli armarium conferens, eo aperto inde sublatam cistellam cum Reliquiario ac Reliquijs ad ecclesiam S. Francisci Conuentualem deferebat.

*post vespas  
ad instituta  
supplicatio;*

7. Finitis interim vespas, & congregatis in Cathedrali Illustriss. & Reuerend. D. Episcopo, Canonicis, Presbyteris, Clericis, Religiosis, Governatore, Ancianis, Nobilibus, confraternitatibus, vtriusque sexus hominibus, solennis processio ex eadem ad S. Francisci Conuentualem hoc ordine instituta fuit: præcedebant in sacris cum vexillis & crucibus confraternitatis, societas Venerabilis Sacramenti, Mortis, Sanctorum Ioannis & Pauli, Decollationis S. Ioannis Baptistæ sub titulo Misericordiæ, S. Sebastiani, S. Rochi, S. Augustini,

stini, S. Francisci, S. Firminæ. Sequebantur primò Religiosi cum crucibus & vexillis RR. PP. Capucini, Etemitæ S. Augustini Discalceati, Obseruantes de Familiâ, Obseruantes Reformati, Eremitæ S. Augustini Calceati, Minoritæ Conuentuales, Somaschi, deinde Clerici, Presbyteri, Musici & Canonici, postremò Illustriss. & Reuerendiss. D. Episcopus, quem præcedebant duodecim personati Angeli, Adm. RR. DD. Iulius Ghiringhellus Magister cæremoniarum, & Hieronymus Douatellus, induiti superpelliceis, comitabantur Iohannes Vincentius Mandosius Præpositus cum dalmaticâ, & Claudius Piciotus Canonicus cum tunicellâ: sequebantur Dominicus Studiosus, Nicolaus Santes Illustriss. & Reuerendiss. D. Episcopi Capellanus ipsius, Illustr. D. Gubernator Iosephus Brianza, Antiani, Nobiles, ciues & vtriusque sexus innumeri fideles.

8. Vbi ad ecclesiam Conuentualium per- *indeq; repon-*  
 uentum erat, & Illustriss. & Reuerend. D. Epi- *tate solen-*  
 scopus sacristiam se vestiturus intrauit; illic *niter,*  
 P. Bonauenturâ Capucinus stolâ indutus, Reliquarium cum sacris Reliquijs, præcedentibus duabus ardentibus facibus candidis, inde efferens, in medio summi altaris deponebat: quò Illustriss. & Reuerendiss. D. Episcopus paullò post in pontificalibus sequens, sacris Reliquijs debitos thuris honores soluebat, & ante illas genibus flexis orabat, doneq; à musicis

sicis CHRISTI PRÆSVL EGREGIVS, ter ad fi-  
 nem vsque decantatum esset. Interim præter  
 allatas à pijs fidelibus, aliæ plures faces, &  
 plurimi cerei candidi inter Clerum, Angelos,  
 Religiosos & primarios distribuebantur:  
 quibus accensis, & datâ ab Illustriss. & Reue-  
 rendiss. D. Episcopo benedictione cum sacris  
 Reliquijs, processum fuit ex hac ecclesiâ eo  
 ordine quo ad eam deuentum, per septem  
 alias, S. Elisabethæ, S. Monicæ, S. Augustini, S.  
 Magni, S. Stephani, S. Catharinæ, S. Ioannis  
 Euangelistæ, ad nouam Cathedralem S. Fir-  
 minæ. In singulis illis ecclesijs Illustriss. &  
 Reuerendiss. D. Episcopus sacras Reliquias,  
 solus eas circumferens, in summo altari de-  
 positas adoleuit; & decantato à musicis  
 CHRISTI PRÆSVL EGREGIVS, benedictio-  
 nem cum iisdem dedit. Per plateas musici sa-  
 cris Reliquijs continuò CHRISTI PRÆSVL  
 EGREGIVS præibant. Summi Pontificis præsi-  
 diarij milites easdem sæpius diuersis in locis,  
 bombardarum explosione, consalutabant: &  
 triste cælum, quod antequàm processionem  
 inchoabant, imbres depluebat, iam effectum  
 lætius, sic omnes continuit, quòd nulla gutta  
 processionem turbauerit.

*per varias  
 ecclesias,  
 ad Cathe-  
 dralem;*

*cælo inspe-  
 ratè sere-  
 nato;*

*ibi iterùm  
 recondita:*

9. Cùm processio ad Cathedralem reuer-  
 sa fuisset, Illustriss. & Reuerend. D. Episcopus,  
 factâ incensatione sacris Reliquijs, eas in sum-  
 mo altari reliquit, abiit. Tunc P. Bonaventura  
 Capucinus accedens, innumeris rosarijs Reli-  
 quia-

quarium tetigit: illud tandem in capsellam suam supposuit, & postquam illam plurimorum vtriusque sexus deuotorum capitibus imposuisset, ad armarium suum, in sacello sanctissimi Rosarij, præcedentibus luminaribus, retulit: eoque clauso, vnam clauem Illustriss. & Reuerendiss. D. Episcopo, alteram Archidiacono, tertiam Augustino Carleno custodiendam reliquit.

10. Acta sunt die decimâ in Ecclesiâ S. Firminæ, eiusque sacristiâ, præsentibus, audientibus, & intelligentibus perillustribus DD. Abbate Paulo Sandro, Mario Archilegio V.I.D. Marco Aurelio Mandosio V.I.D. Capitaneo Romulo Cerichello, Nicolao Archilegio, & Carolo Morello; & die duodecimo præsentibus Iulio Ghiringhello Magistro cæremoniarum, & Hieronymo Douarello Amerinis testibus.

*Acta vtriusque diei.*

11. Tenor autem supradictæ schedulæ, de quâ fit mentio supra, talis est, videlicet. In nomine Domini ad honorem sui Sancti: hæ sunt veræ duæ partes, vna cranij, altera tibiæ, sacrarum Reliquiarum gloriosi S. Liborij Episcopi Cenomanensis, Patroni Paderbornensis, quas ad instantiam Ven. P. F. Bonaventuræ de Rutheno Prædicatoris Capucini, & de licentiâ Sereniss. Electoris Colonienfis, Episcopi Paderbornensis, dederunt & tradiderunt, vnâ cum attestationis instrumento, Reuerendiss. DD. Capitulares Cathedralis Eccle-

*Testimoniâ capsulæ inclusum.*

Ecclesiæ Paderbornensis, Illustriss. & Reuerendiss. D. Peregrino Carleno Amerino, Abbati B. Mariæ, ex ipsâ tumbâ dicti Sancti ad altare summum in Cathedrali Ecclesiâ Monasterij Westphaliæ, præsentate dicto Patre, ubi ob bellorum pericula conseruantur, transfereandæ per eundem Patrem Ameriam in Vinbriâ pro Cathedrali ibidem Ecclesiâ anno Domini MDCXLV. die nonâ Iunij.

12. Ego Benedictus Flametta de Ameriâ, publicus Dei gratiâ, Apostolicâ auctoritate, Notarius, & pro Archiuo Rom. Curia descriptus, & ad præsens Curia Episcopalis Amerinæ Notarius & Cancellarius. de præmissis rogatus fui, & in fidem hîc me subscripsi, & publicauî, ac solito meo signo requisitus signauî.

DOLOR